FLAMINIJ RAII PRATENSIS ORATIO. PRO SALUTE PATRIÆ, AD VIROS PRATENSES. ANNO...

Flaminio Raio

Digitized by Google

XXVII
R.A.II
1579


1021. 15

Digitized by Google

1021. 15
21

FLAMINII RAII PRATENSIS ORATIO.

Pro Salute Patriæ, ad viros Pratenſes.
Anno ætatis ſuæ XXIII.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

FLORENTIAE,
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXVIIII.

FLAMINII RAII PRATENSIS ORATIO.

Pro Salute Patrie, ad viros Pratenſes.
Anno ætatis ſuæ XXIII.

QVOD *natura (Viri Pratenſes) inſita eſt mentibus noſtris inſatiabilis quædam cupiditas verum inquirendi, ac perſcrutandi, mihi profectò fortunatiores illi videri ſolent, qui ſe in contemplandis rebus, perſpiciendiſque poſuerunt, ex quò illud extitit, vt totam vim beneùiuendi in ceterarum rerum humanarum contemptione, ac deſpicientia compararint. Quænàm verò potior, quæ generoſior, quæ laudabilior in omniũ genere natura eſt, quàm eorum, qui ſe ad homines tuendos, iuuandos, & conſeruandos natos arbitrentur? Hinc Cato, hinc Paullus Aemilius, totque ſummi viri, clariſſimique homines occubuere Rempublicam præſidijs, ornamentiſque ſpoliatam ſuis omnibus reſtituturi, atque ab audaci-*

 bus,

bus, ſceleratiſque ciuibus poenè oppreſſam funditus, & deletam in veterem libertatem vendicaturi. Itaque, ut Tauris comparatum eſt, vt pro Vitulis contrà Leones ſumma vi contendant, ſic etiam illi, qui floreant ſummis opibus, vt de Quirino, & Libero accepimus, ad hominum ſocietatem tutandam impelluntur: Iouemque Optimum Maximum propterea vocamus, quòd noſtra in eius tutela ſalus ſita ſit. Quoniam verò nos ita genitos fuiſſe conſtat, vt ad virtutes apti eſſemus, quæ notiores, illuſtrioreſque ſunt, Iuſtitiam ſcilicet, & illam, quæ quaſi delapſa de cælo eſt ad moderationem omnium; Temperantiam, ceteraſque eiuſdem modi generis, atque ad hominum adiunctionem; ita quoque fit, vt alius alij, quoad poſſit, prodeſſe debeat, quod itidem in animantibus minus rationis compotibus perſpicitur, diligunt enim omnia inter ſe, ac ſimul vt orta ſunt, id tùm quidem agunt, vt ſe ipſa tueantur, quòd hic illis primùm ad omnium vitam conſeruandam appetitus datus ſit à natura parente omnium. Cùm igitur ad coetus apti, ciuitateſque ſimus, atque ad conſeruationem hominum homines natos eſſe videamus, nihil planè videtur inſignius, quàm coniunctio inter homines hominum. Capeſſentibus autem Rempublicam illud præcipuè cauendum, ne temerarij, audaceſque ad illius gubernacula acceſſerint, cauendum eſt etiam, vt ab ipſis quædam præparatio diligens adhibeatur, omneſque curæ, cogitationeſque in eam conferantur, ne maximis, miſerrimiſque naufragijs porrò factis, illis grauius angi, atque animo affligi diutius debeant. Quo circà proponite

ponite

ponite vobis Ciues, proponite (inquam) Ciues Numam Pompilium metipſis ad imitandum. Qui, cùm morte Romuli res ad interregnum rediјt, cùm bonorum in eum ſtudiјs inclinatis, & propenſiſſima ciuium voluntate Romæ electus, ac ſalutatus ſe in ditione locaſſet, quanta, (Deus optime) quàmque admirabilia pietatis, & iuſtitiæ clariſſimis iandiu monumentis conſignata nobis exempla tradidit? Nihil ille conſultiſſimus vir, diuinique iuris auctor dies, ac noctes cogitabat, nihil in animo habebat, nihil vnquam moliebatur, niſi quod bonum, fauſtum, felixque Reipublicæ, cunctiſque ciuibus eſſet ſalubre, ac frugiferum futurum. Quid ego de Lycurgo? quid de Nerua dicam? qui duodecim menſes (tot enim regnauit) oblatas ſibi Imperiј habenas iuſta cum ditione regens id ipſum ad earum faſtigia dignitatum euexit augendo, ampliando, ac proferendo, vt illum mortuum Senatus, populuſque Romanus in Diuorum numerum referrent. Sic Caſtor, ſic Pollux, ſic Cæſar poſt mortem immortalitatem ſibi peperere. Neque impiger Hercules cum ceteris Dijs ſuauiſſimis epulis iannunc oblectaretur, Iouiſque, & Iunonis filiam Heben in matrimonio haberet, niſi grauiſſimis ærumnis exantlandis, plurimiſque exhauriendis laboribus, vitaeque periculis adeundis hominibus ocium, & tranquillitatem peperiſſet. Optimorum verò ciuium, ſapientiumque virûm eſt ius colere, leges conſeruare, fidem præſtare, iuuare conſilio, cupiditates, iracundiaſque reſtinguere, libidines coërcere, ad honeſtas vitæ rationes liberos inſtituere, pietatem, innocen-

tiam, integritatemque animi retinere, neminẽm lædere, prodeſſe omnibus, vſquequaque ſapere, nulli temerè credere, ἄρθρα γὰρ ταῦτα τῶν φρενῶν: neque in ſecundis rebus efferre animum, neque in aduerſis demittere, ſed æquitatem ſeruare, & quæcunque Dei voluntate contigerint placidè, ſedatèque ferre. Ex quo fit, vt ſua gaudeant ſapientia, vt quæ ſibi exploratiſſimum ſit, ætatem quiete ſemper acturos eſſe ſe. Quam igitur horum vita fortunatiorem, quam beatiorem, quam bonis omnibus affluentiorem poſſumus excogitare? Verum enim verò qui nullis præmijs propoſitis vitam ſuam hoſtium telis pro patria obiecerunt, proque illius defenſione, ac libertate pugnantes ceciderunt, (vt de Codro, deque Leonide memoriæ proditum eſt; quorum alter fuga turpi, aut præclara morte propoſita, ſeſe inimicis oppoſitus patriæ ſpiritum largitus eſt, altero verò, Oraculo dato, interfecto Rege, Athenienſes victuros, & glorioſè Triumphaturos, pauperioris habitu induto, ne poſſet agnoſci, ſi eſſet ornatu regio conſpiciendus, impetu in hoſtes facto, multo cum ſanguine vita effuſa, nobilique victoria parta, Oraculum editum eſt.) eos vnquam ſatis ab vllo laudari poſſe autumo, eorumque nomen nulla vnquam inobſcurabit obliuio, nullaque ipſorum laudibus finem æternitas allatura eſt, dùm apud omnes gentes fortiſſimi, clariſſimique nominabuntur. At nullo modo poteſt, nullo modo fieri Pratenſes; vt per iniurias, & periuria, ac mendacia ſtabilis potentia comparetur: nihil enim ſine iuſtitiæ fundamento poteſt eſſe ſtabile, nihil firmum, nihil diuturnum, fundamen

tum

tum autem iuſtitiæ fides eſt, qua ſublata, omnia fluant, occidant, labantur, neceſſe eſt. Neque verò Philippus bonus, ac fortis Imperator appellitandus eſt, qui iureiurando Deorum violato, fæderibus ruptis, fideque mortalium neglecta, custodibus quarunque vrbium collocupletandis Græciam ſibi ſubigere conabatur, cùm Omnia caſtella expugnari poſſe diceret, in quæ modò aſellus onuſtus auro poſſet aſcendere. Qui autem in Republica caſtè, integrèque gerenda optimè verſantur, quiq; res magnas obeunt, præclaraque facinora edunt ſiue domi, ſiue belli, diuinis quippè honoribus afficiuntur, certuſq; illis in cælo locus eſt, vbi ſempiterno æuo fruituri ſunt, qui patriam conſeruarint, adiuuerint, auxerint, nobilitarint, cohoneſtarint. Cuius quidem tanta moles, tanta vis, tanta natura ſit, vt, Ithacam vt aſpiceret, ſapientiſsimus Vlyſſes immortalitatem poſtputarit. Ita hæc animis infigenda ſunt, vobiſque opera nauanda eſt, vt patriæ ornamento, præſidioque ſitis, vt Deum piè, ſanctèque colatis, & iuſtitiam ceteris pulcherrimis virtutibus multò pulchriorem vt cum maximè exerceatis. Itaque, vt Veteres olim ab aratro arceſſerunt Cincinnatum illum, illumque Attilium, hunc, qui Conſul, illum, qui fieret Dictator, ſic vobis boni viri colligendi ſunt, veſtriſque officijs tuendi, ſtudijſque complectendi, qui labore, qui ſtudio, qui contentione animi, vique ſumma ingenij nixuriunt patriæ relinquere ad poſteritatem hominũ memoriam ſui nominis ſempiternam. Neque publicis, neque priuatis opibus eſt parcendum, ſed omnes, vbi occaſio poſtularit, prom-

tis animis illi vobis adiuuandi ſunt. Vt enim ad currendum equi, ad arandum Boues, ad indagandum canes, aues ad volandum, piſces verò ad natandum orti ſunt, item homines ad intelligendum, & ſemper aliquid factitandum naſcuntur. Atqui fieri nunquam poteſt, vt minoribus, humilioribuſque rebus intenti ſublimiores, ac generoſiores concipiant ſpiritus, qualiaqualia enim hominum ſtudia ſunt, talibus talibus eos animis eſſe neceſſe eſt. Sed redeo, vnde eram digreſſus. Erigite, erigite quæſo animos Ciues, & ponite vobis ante oculos Dominicum Iuntalodium, Philippum Ingiramium, Franciſcum Dathinium, ceteroſque alios de noſtra patria benè meritos viros, qui hanc Rempublicam tàm præclarè fundatam, optimis inſtructam moribus, & temperatam legibus, ſibi defenſam, auctamque nobis reliquerunt. Quàm præclarum eorum è vita diſceſſum fuiſſe, quàm lætos, quàm gratulabundos, quàmq; eos feliciter expirauiſſe, exiſtimandum eſt? Quod quidem genus felicitatis clariſſimus ille Dux Thebanorum Epaminundas minimè ſortitus eſt; extincto enim illo, extincta eſt etiam patriæ gloria, vireſque Reipublicæ ceciderunt. Num autem cenſemus quenquam horum excogitaſſe quicquam in vita ſibi expetendum, niſi quod laudabile, & dignum gloriatione videretur? Ceterùm nimis breuis eſt, breuis eſt nimis, qua fruimur, æui conditio, fluxa hominum memoria, picturæ labiles, caducæ ſtatuæ, interque inuenta hominum nil literis ſtabilius reperitur. Quarum quidem gloria quanto illi opere ſemper inflammati fuerint, quantumque ergà illa-

rum poſſeſſores amorem præſetulerint, vel ex hoc ipſo perſpici poteſt, quòd aliquot adoleſcentulos prognatos genere ſummo, & ſummo ingenio valentes, quos dura egeſtas oppreſſiſſet, ſatis grandi mercede ipſis propoſita, Piſis per ſeptennium curarint alendos, ſcilicet, vt eò tanquam ad mercaturam bonarum artium proficiſcentes, indè in patriam quaſi poſtliminio ditiores, melioreſque facti reuerterentur. Intelligebant enim prudentiſſimi illi viri verum decus in virtute eſſe poſitum. Perſpiciebant ſapientiſſimi nihil, ea ſublata, in hac miſerrima vita aut prædicabile, aut gloriandum. Opinabantur conſultiſſimi tempora: fore, cùm municipium noſtrum, vt pulchritudine ceteris nedum Etruriæ, ſed etiam Italiæ, immò totius ferè orbis terrarum, ſic omnibus doctrina antecelleret. Quæ adhuc opinio fefellit eos, neque prorſum fefelliſſet, ſi acriora ingenia verſantia in ſtudijs eorum voluntatem reſpexiſſent, mors minus interceſſiſſet. Sed ò Viros egregios? ò Ciues patriæ ſtudioſos? quibus vos laudibus efferam? quas vobis gratias vnquam refert, pro tantis meritis noſtra ciuitas? dùm ad illius ſalutem teſtamento bonis veſtris ſapienter relictis omnibus, deficiente iam, & moribunda voce incolumem, florentem, beatamque deſideratis? De egregia verò pietate, deque eximio amore, quo ſemper flagraſtis conſeruandæ patriæ, ac defenſitandæ, quid ego nunc plura prædicem, aut laudem, cùm optima quæque ingenia ſcriptorum defatigatura videantur? Quid enim illa antiquius,

quid

quid dulcius, quid iucundius Vobis vnquam eſſe potuit? Vos Virgines complures aut nuptum locatis viris, aut potius dicatis Deo. Vos pauperes alitis. Vos ædes Deorum vetuſtate collabentes, ac reparatione indigentes reficiendas, reparandaſque curatis. Vos, vos (inquam) ſacris ordinibus de theſauris veſtris ſuppeditatis tantum, quantum ad victum, veſtitumque ſat eſt. Quapropter (ciues) cenſerem egomet veterum exempla ſecutus (quod ſæpè factitarunt) vobis tantorum ergà vos beneficiorum gratis, ac memoribus illis marmoreum coloſſum publicis notatum literis ipſorum pietatem teſtantibus decernendum, & in foro, aut aliquo loco huius municipij perſpicuo collocandum, qui eſſet prætereuntibus, reique magnitudinem, quam in ſe habet, animaduertentibus acerrima ad ipſorum gloriam æmulandam incitatio. Nàm quòd eorum imagines eleganter depictas in tabulis in curia affigendas curauiſtis, vt in ipſas tanquam in ſpeculum inſpicientes quaſi quoddam exemplum ſingulare pietatis præcipuè vobis colendæ contemplaremini, ſanè factum probo, probo etiam, & magnopere dilaudo, quòd eorum memoriam immortalitate digniſſimam quotannis lugubri apparatu ritè celebrandam ſtatuiſtis, pijſque officijs, & ſuprema oratione decorandam cenſuiſtis. Vos igitur (Ciues) rogatos etiam atque etiam vehementer velim, vt illarum rerum vobis curam magno, & conſtanti animo ſuſcipiendam exiſtimetis, quæ ad dignitatem Reipublicæ, ſalutemque Patriæ attinebunt. Dixi.

FINIS.

Z 1021. 15

99 956078

1021 . 15

Digitized by Google

MC